

1512 die Galli , conditione adhibita , ut Columnæ suis cum copiis Ravenna exeundi potestas fieret , neque oppidanis noceretur , oppido potiti sunt : quod quidem intromissi , conditione non servata , fœde crudeliterque diripuerunt : arcem autem oppidi capere non potuerunt , iis , qui in ea erant , fidem Julio velle se præstare dictitantibus .

Patres , qui eo tempore per Vincentium Naldium in Flaminia milites mille sua pecunia confecerant , ut ea cum manu Julii oppida , quantum posset , tueretur , ei mandaverunt . Is Faventiam propter cladem Hispanorum nutantem se contulit , atque oppidum opportuno præsidio communivit . Prorex ipse , qui Anconæ post fugam pri-  
mum constitit , suas ut copias ad signa revocaret , omnem curam & diligentiam adhibuit . certior enim factus majo-  
rem ex suis & potiorem multo partem in prælio Gallos amisisse , in spem venerat , adhibitis Helvetiis posse illos Italia expelli , si universi celeriter munus obierint , & vir-  
tutem gnaviter exercuerint suam . Quod ubi Patres intel-  
lexerunt , eum solari & erigere omniaque auxilia ei pol-  
liceri non dubitaverunt . Joannem Antonium Dandulum etiam a Senatu lectum cum auri libris **CXX.** ex supe-  
riore stipendio reliquis , quas tamen ipse in fugam versus jure belli amiserat , ad illum miserunt , juvandi & exci-  
tandi hominis causa . quam quidem rem legatus apud Ve-  
netos Ferdinandi imitatus , se ad illum cum pecunia con-  
tulit . Cymbæ interim duæ in navalibus confectæ atque instructæ , quæ proter velocitatem *birundines* appellabantur , in Ravennæ portu naviculam Alfonsi longam remi-  
gum quadraginta captam a se , imperfectis ex illis pleris-  
que , navesque duas mercibus & occisorum in pugna spo-  
liis onustas item una captas ad fori marginem Alfonsi si-  
gna per aquam trahentes duxerunt . Julius ut regem Gal-  
liæ deliniret , ejusque cogitationes & incepta , si qua contra se agitaret , ea spe sisteret , Senatu Cardinalium voca-  
to proposuit , velle se fœdus cum illo facere : capitaque fœderis , in quibus inerat , ut ei rex Bononiam restitue-  
ret , quæque in Flaminia ad Padum flumen oppida per-  
tine-